



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

cum aliis operibus commune. Vno verbo rem absol-
uam. Sacrate virginis nuptias coaquare, aut amore casti-
gandi corporis, abstinentibus à vino, vel carnibus, nil credere
meriti accrescere, non hoc Christiani, sed Ioviniani est. Aug-
ustinus de dogmat. Eccles. c. 67.

Ieiunium
ex sententia
Caluini
præceptum
est, aliqui
esse ihe-
roponia.
Ieiunium an cultus Dei sit? nec ne? forte si nos illi
velint intelligere, controuersia finem habebit. Nam
primo negat Caluinus, esse opus à Deo præceptum: nos in
genere præceptum in concedimus, ut Aug. 11. Ep. 86. ad
Calulanum. Caluinus ex ipso conuincimus. Cate-
chismus, inquit, de ieiuniis in genere non loquitur, quorum vi-
nam frequentior inter nos usus, (modo idem purus) foret. Si
optat usum, igitur præceptum agnoscit: Nam usus si-
ne præcepto apud illos iherosponia, voluntarius, &
Deo ingratius censetur cultus. Ieiunium igitur ex se se
ac natura res media est, ut est esus; Virtutis vero exer-
citiū est, cum bonum finem habet, ad ieiunandum
igitur à variis virtutibus impellimur. Temperantia,
obedientia, religio, castitas, poenitentia ieiunationem
præscribunt. Si ieiunas, quia te voto obstrinxisti, cul-
tus Dei est ieiunium, quia perfoluere votum est actus
religionis. Si ieiunas, ut carnis libidinem exstinguas,
castitatis opus est ieiunium, & cultus Dei, sed gene-
ratim sumptus, quemadmodum omnium virtutum
opera Dei cultus sunt. Si ieiunas, quia Deus præcepit,
obedientia est, insignis Dei cultus. Si ideo quia Magi-
stratus, vel Ecclesiasticus, vel civilis mandauit: ita
quoque obedientia est. Obediendum est magistratui,
Rom. 13. 1. Infans igitur quisque verum & Christia-
num ieiunium Dei cultum negat: Cultum inquam,
vel stricte acceptum, si ex religionis imperio, norma-
que procedit, vel in genere, si ab alia qualibet virtute
ad corporis piam castigationem moueamur. Ita ergo
à cibis abstinendum est, ut potiorē rationem vitæ
spiritualis habeamus, quæ de re eleganter, & neruose
Chrysostomus passim disputat. Hom. 1. in Gen. & 3. ad
populum Antioch. item hom. 4. 6. 10. 18. Qui ergo ista
vitamus, quæ aliquando licent; inprimis peccata fugiamus,
quæ omnino nunquam licent. Itaque si volumus bene ieiunare
à cibis, ante omnia ieiunemus & à vitiis.

Ieiunium
cultus Dei.

Virtus ie-
iunio sit co-
mes.

Præstat ri-
gide exige-
re, quam
nulla iei-
unia.

Denique tertius error; scilicet, morosius exigere iei-
unia, minor est illo, qui nulla exigit, nisi cum nihil
quod edas, superest, ut supra vidimus fecisse Illyrici.
Nec multum abesse videtur Melanchthon. Duplex
ille ieiunium facit. Primum cum sobrie sumitur cibus. Al-
terum cum nihil omnino, vel parum admodum sumitur. Eius
causas tres adfert: Si deest cibus, si deest appetitus, si fasti-
dium omni cibi fecit moror. Quæ si rata sunt, verendum
non est, ne Caluiniani in exigendo ieiunio sint moro-
si. Imo dolendum eos in deferendo ieiunio tam
esse faciles.

VERSUS 3.

Et accedens tentator dixit ei. si filius
Dei es, dic ut lapides isti panes
fiant.

QUESTIO I.

Quando tentator accessit?

Tentator
occasione
visus ac-
cessit.

§. 1. *O* Rigenes hom. 29. in Lucam, totos quadra-
ginta dies noctesque tentasse exilumari. Ple-
tiq; nunc primum accedere, opportunam sibi Chri-
sti famem arbitratum. Quæ enim parte infirmum pu-
tabat Christum, irripit, circumiecit at dies omnes ut
leo, aditum frustra scrutatus, nunc aduersa, periculo-
sa, & maleuada fame, corporali specie accedens ten-
tat, ut si homo sit, ad peccandum inducat, si Deus, id
ipsum cognoscat. Audierat voce u polt baptismum
de eo testantem, t. si moniumque Ioannis, mirabatur
tot dies sine fame transactos; at nunc ubi more homi-

num grassari famem, succumque, & membrorum exi-
anationem vidit, locum vulnei fore sperauit.

§. 2. Argumento sane valido cum aggreditur. Si fi-
lius Dei es, quid fame cruciaris? vere poterit a vera-
cem ostendere Baptistam. Panem ex lapidibus confice.
Hoc si non potes, cum magna sit, nec diutius tolera-
i possit fames, moriendum est. Hoc enim minatum esse
non obscure colligitur ex responso Christi. Non in solo
pane viuit homo. Quod è diametro non opponitur nisi
illi propositioni. Solo pane iam viuere potes, aliqui inedia
moriens. Poruit sane luculentam sibi mentem versis in
dapes faxis construere, verum sapientia, pietate, scrip-
tura hostem vincere maluit. Fidem igitur Christi op-
pugnauit. Nec tam in hoc impedit, quo minus verum
sit, & sit quod multi veterum dixerant, etiam ad gulam in-
citasse Dominum. Fallo igitur pascos interpretes ac-
cusat Caluinus. Hic etiam parum firmis argutis luserunt
veteres, primam enim tentationem dixerunt esse gulam, alteram
ambitionis, tertiam auaritia, sed ridiculum est ad gulam in-
temperiem referre, si quis famelicus cibum appetit quo natura sa-
tisfaciat. Porro quas in pane lautitias fugient, ut nimis deli-
catus censeri debeat, qui siccum pane, vixit, contentus est.

Errat omnino Caluinus, dum existimat eadem oc-
casionem non nisi ad vnum crimen demonem posse
impellere, de fide, & perfidia, de gula tentabat esu-
rientem; imo vero id agebat, ut nimio esca desiderio
ad impatientiam, desperationem, numenque tentan-
dum concitaret. At ridiculum est in pane gulam esse.
Imo norat mille artifex, nimio appetitu lenticula Esau
vendidisse primogenita: & in cibario etiam pane
cupiditatis impetum extra orbitam ferri posse. Quod
multi Patrum docuerunt, & magistrum suum Pareus
docere posset. Lenticulam coxit Iacob, vile legumen, vehem-
ens eius desiderium habuit Esau, ut etiam nomen inde inue-
niret. inquit in c. 25. Gen. v. 30. Pareus, & v. 34. Preceat
intemperantia gula, quod famis impatiens tam auide pulicu-
lam rufam appetit, quasi in patris culina ossulam habere non
possit. Cur non igitur Christum de gula, in appetitio-
ne panis in deserto tentaret, qui Esauum in opulenta
domo, inter varia cibarium genera in certamine de-
coctione rufam ducit?

Nec obstat Christi responsio; nam de fide & spe in
Deum respondere potuit; quia ad grauius malum
perfidia, quam gula tentatio tendebat. Rectissime
vero de gula tentantem reiecit. Quasi dicat. Nihil o-
pus est hic Deum tentare, aut lapidum metamorphosi fide, & si-
elcam querere, viuum de omni quod Deus decreue-
rit. Deo curæ erit mea temperantia, non sum moræ
impatiens, nec profani imitator Esau. Eodem ergo
clypeo vtrunque telum Christus reiecit: nam se in
Deum sperare ostendit, cuius potentia non sit pani
alligata, & superesse sibi tolerantiam ad inediam laui-
tiam quam diu Deo visum fuerit, fortiter, hilareque
ferendam. Itaque viuere hominem dicit ex omni ver-
bo, על כל בורא פי יורה, super omni quod egreditur
de ore Dei, hoc est, quocumque hominem Deus vitam
propagare iusserit, id illi panis instar est, Deut. 8. 3. De
omni homine scriptura loquitur. Non agitur hic de
verbo Dei, seu doctrina sacra, sed decreto Dei, à cuius
nutu vita pendet, & qui creaturas quas fecit, sustentat.

§. 3. Hic etiam occasionem calumniandi Caluinus
veritatis Satan arripit. [Vnde etiam colligimus, Papi-
stas, quasi facta cum Satana pactione, animas crudeli-
ter exponere eius libidini ad interitum, quum Scri-
pturam maligne suppressantes, Dei populum spoliant
suis armis, quibus solis salutem suam tueri poterant.
qui vero armaturam istam sponte abiiciunt, nec se in
Dei schola assidue exercent, digni sunt qui singulis
momentis à Satana iugulentur, qui se inermes pro-
dunt. Nec sane alia ratio est, cur tam impotenter gra-
setur Satan, & passim tam multos abripiat, nisi quia
eorum

eorum ignauam & verbi sui contemptum Deus vlciscitur.]

Debit scripturarum impius interpolator, deprauator, & mutilator nobis hoc conuiuium facere, vt scripturam suppressimè videremus, cum tamen eius legitimus vsus sit apud nos solus.

Nos vero quomodo sumus scripturam suppressimè? quam tot vbique modis proferimus & explamus? Docemus quotidie ex scriptura pugnare cum Satana. Monemus ne sua arma extorqueri sibi patiantur, vt quibus legi debebant, illis ipsis iugulentur, dum arma tractare nesciunt. Thronos huius militiæ sine campiductore, in aciem descendere periculolum ducimus, nec suis auspiciis arma imperite mouere, hoc suo proprio sensu scripturis abuti, permitimus. quod nec improbare Caluinus potest, qui se Bucrum fecit esse profectur in Euangeliorum expositione, & hunc à veteribus adiutum. Si igitur illi non suo sensu, sed alieno adiuti hæc arma tractant, cum nobis idem non liceat? Quod si de illis agamus, qui scripturas de fidelium manibus excutunt, haud facile peniciosos æque inueniemus, atque illi sunt, qui errorem factis scriptoribus tribuunt, quique parum æstimant, si modo peregrino tractentur. Caluinus id parui facit, statuta Gebennensis pag. 12. 13. edit. 1562. vitia ministrorum intolerabilia quædam recent, vt ludos, & choreas, alia tolerabilia, adhibita correctione fraterna, qualia esse dicte perit. Hoc si in ministro tolerabile est vitium, quid erit in idiota? Quomodo obuiam ibitur dæmoni, modo, quo non est vsus Christus aut Ecclesia?

VERSUS 5.

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei, Si filius Dei es mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia angelis suis mandauit de te, & in manibus suis portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

QVÆSTIO I.

An Christus reipsa fuerit in sublime euectus à Satana?

S. 1. Eodem argumento vtuntur, qui aiunt, quique negant. Indignum est Christi maiestate à Dæmone per aera vehi, indignus videtur Domini sensibus illud, vt in eremo consistens, super templi pinnaculum, vel montis verticem sibi locatus videretur. Minus est enim à Satana ferri, quam eius præstigiis obnoxium fieri. Mihi omnino Christus & in montem, & super pinnaculum reipsa collocatus videtur: nec assentior auctori de virtutibus cardinalibus, qui aliter existimat. A multis ambigitur verum fuerit hic translatus corporalis: & si de loco in locum Christus transferri permiserit, eo modo quo Abacuc de Iudæa in Chaldaeam translatus est; & Philippus de Azoto in occursum Eunuchi, qui reuertens de Hierusalem, non intelligens Esaiam, codicem reuoluebat. Sed quod corporaliter eum diabolus tulerit, videtur inconueniens: quod humeris eius Saluator insisteret, & pro vehiculo vsus sit quem præcipitorem sciebat; vel ei ferendum se commiserit, cuius infidus agnoscebat. Suo itaq; spiritu eum credendum est ductum, & in desertum, & super templum, vt vtriusq; eum diabolus assumeret ad tentandum. Et localiter quidem in deserto prima fuit tentatio; sed ceteris eo modo circumduxit Adam Conzen in Euang. Tom. 1.

tentatoris astutia, vel circumduci passa est patientia Saluatoris, quo modo Ezechiel cum super flumen Chobar sederet, Hierosolymam raptus in spiritu ciuitatem adificat, & metitur, & muros, & templum inflatur. Hoc modo super culmen templi Christus erat in spiritu; sciens quid antispiritus affectaret, & hosti se de vanagloria pulsatur oportunitatem parabat. Hæc ille vel Cyprianus, vel auctor sanè vetustus.

Primo mouet me verborum proprietates, vt reipsa translatus putem: dicit enim *ἔλαβεν αὐτὸν ὁ ἑσπέραιος*, & Luc. 4. 4. *ἀναγὰρ οὐ δύεις*, & v. 9. *ὁ ἡγὰρ οὐ δύεις ἑσπέραιος*. Et duxit illum in Ierusalem, & statuit supra pinnaculum templi. Eodem modo & Syrus *ܐܬܝܬܐ ܠܝܠܗܐ* translatus. Quæ omnia torquentur; si aliud aliquid significant, quam veram translationem. Si enim ista solum in sensu externo, vel imaginatione Dominus pertulit, cur non de ipso Satana, ieiunio, colloquio idem dicemus? non in somno, non in imaginatione, sed reuera illa peracta sunt. Quam vim porro tentatio habuit, si dæmon stanti in eremo dicebat: Mitte te deorsum. Velenim putabat dæmon; Christi sensus, imaginationemque ita illudam, tunc etiamque, vt ratio, liberumque eius arbitrium, & circumspectarum consideratio non constaret, vel putaret sensibus & imaginariæ potentia per præstigiis occupatus, iudicium integrum esse, quo cognosceret se in plano, non in pinnaculo consistere: Non hæc disputo, quasi rationem Christi turbare dæmon potuerit; sed de mente eius qui tentabat, loquor. Si existimabat iudicium Christi illudam esse, ridiculum se tentatorem exhibebat; quid enim hoc magnopere virum prudentem moueret; si in plano stanti diceret, mitte te deorsum? imo si ipsum templum intueretur, non modo si imaginatione duntaxat complecteretur, parum virum haberet illa tentatio. Quod si illum omnino sensibus alienatum, & mentis inopem credebatur; vti solent esse, qui excessum, aut somnia patiuntur, nihil profutura erat tentatio, cum somniantes, aut à mente alienati non peccent. Frustra sane cum eo disputaret, quem intelligentia nulla vi existimaret: aut sane debili, qui somniantes interdum habent.

S. 2. Dicitur translatus, & locatus super pinnaculum *ܐܬܝܬܐ ܠܝܠܗܐ*, Syriace *ܐܬܝܬܐ*, quod non est signum, quale nobis in turribus, cum plana tecta Palæstinorum ædes habeant. Vt vero huius tentationis occasio fuit, grauitasque intelligatur, historia & descriptio templi cognoscenda, quæ huic rei est necessaria. Alitudo templi erat 120. cubitorum Ioseph l. 8. c. 2. antiqui. Deinde cochlea erat, qua in superiora ascende batur, muri crassitudine inclusa, vt refert Iosephus eodem loco. Tectum erat de ligno, sed auro tecto. In summo autem, inquit Ioseph l. 6. c. 6. *auris verubus horrebat acutissimis, ne ab insidentibus auiibus pollueretur*. Huc igitur Christum deduxit Satan, vt vel eum vana gloria, ad Deum tentandam induceret, aut ad desperationem adigeret. Erat enim in extremo periculo, humanitus loquendo Christus. Descendere per cochlam non poterat, seculis, ferroque munitam. Si maneret, fame moriendum videbatur; si per ambitum seu peribolum prospiciens, illis qui in subiecta area velabantur se ostenderet, non minora se pericula offerebant: iudicio enim sistendus esset, vbi quæreretur; quis esset? quomodo conscenderet, quo fine, quo proposito? suspensiones incendiis, furoris, profanationis templi, minimum hoc efficissent, vt ad diuissimas quæstiones admoventur. Si à diabolo se adductum fateretur, tanquam magus & veneficus cremaretur. Hæc omnia tum proponebantur, & ex se perspecta erant. Hinc tentator domino, vt putabat, in extremo discrimine posito, omnes neruos intendit, vteo adigeret, vt se præcipitem daret, vel à Deo seruandus, vel sane quæstionum triffissima vitaturus; vt eo modo *ἀνέχεσθαι* faceret.